

Bibliothèque numérique

medic@

**Marechal, J.-F.-A.. - De varicum causis
et medelâ**

1830.

Paris : Ex typis Lefebvre

Cote : 90975



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?90975x1830x02x10](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90975x1830x02x10)

11

COMPETITIO AD AGREGATIONEM,

JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI,
INSTITUTA ANNO 1823.

DE VARICUM CAUSIS ET MEDELÂ.

THESES

Quas, deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi, præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputationibus, subjiciet et dilucidare conabitur, die decimo septimo mensis Februarii, anno millesimo octingentesimo trigesimo;

J.-F.-A. MARECHAL,

CELEBERRIM. FACULTATIS PARISIENSIS DOCTOR, PROSECTOR, UNUS È CHIRURGIS,
PRÆPOSITIS AD ILLOS DIJUDICANDOS QUI MORBO LABCRANTES IN NOSOCOMIIS
PARISIENSIBUS ADMITTENDI SUNT, etc.

PARISIIS.

EX TYPIS LEFEBVRE,

Viâ Borbonicâ, N°. 11.

M. DCCC XXX.

0 1 2 3 4 5 (cm)

JUDICES.

Præses.

D. DELENS.

Judicès.

D. D.

BAUDELOCQUE.
BOUGON.
DESORMEAUX.
DUPUYTREN.
LISFRANC.
ORFILA.
RICHERAND.

COMPETITORES.

D. D. MAINGAULT.

D. D. MARÉCHAL.

LECORCHÉ COLOMBE.

LAUGIER.

SANSON.

GUERSENT.

DELMAS.

GINIEZ.

HALMA GRAND.

THIERRY.

BOYER.

VIDAL.

JOBERT.

BERARD.

DE VARICUM CAUSIS ET MEDELA.^A

PROOEMIUM.

VARICUM perscrutare causas, morbi istius medelam inquirere : hæc nos sortiti sumus. Posteaquam igitur, in limine, dictum fuerit quid varicum nomine intelligendum sit, causas primò varicum, deindè medelam assequemur.

Varicum appellatio hisce tumoribus imposita fuit, qui, asperâ nodosâ que facie distincti, è venis intortis conflantur : seu vascula ista dilatatione tantùm, seu dilatatione simul ac hypertrophîâ laborent : sive compleantur liquido sanguine, sive sanguine concreto.

Quem varices appellamus morbus dictus fuit etiam apud auctores varios, *ramices*, *chirsos*, *phlebeurisma*, *phlebectasia*, etc.

Morborum generatim sunt causæ quas dicunt *prædisponentes*, sunt quas dicunt *efficientes*. Frequenter utriusque generis causas admittunt varices : frequenter etiam uniustantum aut alterius. Illas, per vices, aggrediemur, exordium ducentes à prædisponentibus.

A. CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

1^o *Venarum directio*. È venis, quædam infernè, quædam supernè, repent : in prioribus, sanguinis decursus de pondere ipsius nil impedimenti accipere potest ; in posterioribus verò, sanguinis pondus sanguini ascendenti adversatur, ac proindè sanguinis pars quæque intra valvulas consequentes comprehensa, parieti, quo coercetur, impulsu inijcit, atque illo ampliando intendit. Indè serè omnes rationem ducunt, cur frequentiores appareant varices, tum venarum quæ valvulis aut rarioribus aut

nullis interruptæ fuerunt , tum venarum quæ , valvulis non raris interruptæ , longum iter conscendunt. Exempla producemus , venas hæmorrhoidales , quæ venæ portarum inseruntur , venas spermaticas , venasque saphenas.

2° *Venarum fabrica.* Cum venosi parietes membranis tenuibus ac mollibus constent , quæ facillimè extendi possunt , sanguini impellenti non nisi molliter obstant. Fabrica igitur venarum dilatationi explicandæ inservire potest.

3° *Quod venæ non sint valvulis interruptæ.* Quod non sit valvulis interruptum systema venæ portarum , permulti dicunt idèò frequentiores apparere varices venarum hæmorrhoidaliùm. In eorum sententiam libenter incidimus.

4° *Venarum situs.* È venis quædam exteriores dici possunt , cutem inter ac aponeuroses jacentes , cellulari tantùm laxiori comprehensæ textu , quædam verò interiores , arteriarum comites ac musculos interrepentes ; his posterioribus multum adjumenti afferunt arteriarum pulsus ac musculorum contractiones ; prioribus verò nil hujusmodi contingit : huic explicatur , cur illarum frequentiores sint varices.

5° *Habitus corporis varicibus favens.* Quidam varicibus proclivorem dicunt idiosyncrasim lymphaticam propter organorum mollietatem : aliis indicium fuit proclivitatis illorum corporis habitus , qui , magno præditi robore , violentes exercitationibus vires applicant. Alii etiam aptiores pronuntiant illos qui temperamentum sortiti sunt , seu sanguineum , seu biliosum. Complexionem quidem annumerari causis varicum consentiens erit quisquis observaverit quosdam toto fermè corpore varicosos. Alibert et aliorum sunt hujusmodi observata. Observandum obiter nonnullos à parentibus ducere aptitudinem quamdam ad varices subeundas.

6° *Ætas.* Infantium rarissimæ , adolescentium non frequentes observantur varices : adulti præsertim hoc ce morbo laborant , atque dum ad senectutem progrediuntur gravioribus vexantur incommodis. Haud rarè etiam , hæmorrhoides ac varices , menstruïs cessantibus succedunt. Seniorum raræ sunt varices : imò , benigniores fiunt quæ adulta ætas seu ju-

ventus attulerant. Causis igitur varicum annumerari debet adulta ætas.

7^o *Sexus*. Virorum frequentius observantur varices quam mulierum. Mulieres quidem mollioribus vacant laboribus. Illas verò frequentius attingunt varices quæ laboribus incumbunt asperioribus.

Varices quæ per graviditatis menses apparent, sæpius, partu effecto, discedunt.

8^o *Artes*. Artes variæ per multum varicibus favent : artes præsertim quarum duri sunt labores. Qui indesinenter stare debent, qui stantes multum subeunt onus, qui frequenter cruribus exercentur, qui tandem parte quâdam corporis crebrius irritantur, hi omnes varicibus frequenter vexantur : exempla sint, milites, typographi, illi qui onera subeunt, illi etiam qui honores subire conantur, plaustrorum ductores, qui ligno ex aquis extrahendo inserviunt, culinares servi, fæminæ quæ vestimenta abluunt, operarii cristalli seu metallorum fundendorum, etc.

Artes quæ sedentem virum applicant, hemorrhoidaliū venarum dilatationem frequenter appellant.

Varicocele seu cyrsoccele frequenter equitibus, rariùs pediūbus, nonnulli dicunt.

B. CAUSÆ EFFICIENTES.

Causarum efficientium triplex erit classis. Classis cujusque multiplex erit genus.

Primæ classis erunt causæ quæ venarum parietes debilitant.

Secundæ classis erunt causæ quæ impulsū lateralem sanguinis adaugent.

Ultimæ classis erunt causæ quæ sanguinis affluxum ad vascula cujusunque partis corporis ac proindè ad venas copiosiores faciunt.

Classis prima. Venarum paries ita potest violentiâ quâdam externâ alterari, ut nequaquàm sanguinis impulsū lateralem cohibere possit : verbi gratiâ si vena contusa fuerit. Huic causæ nonnulli, quandòque veras varicum causas ignorantes, dant comitem debilitatem quamdam fortuitam parietis venarum ; aliud verò est asserere, aliud demonstrare.

An sint venarum etiam ejusmodi alterationes quibus frequenter arteriarum aneurismata fiunt? Quæritur.

An chronicâ inflammatione laborare queant parietes venarum, quâ molliores deveniant ac ulceribus afficiantur, è quibus varices oriantur? Quæritur.

An, quemadmodum membranas inter arteriarum gignantur organica quædam quibus parietes fragiliores fiant, ità et membranas inter venarum? Quæritur.

Rarissimè observata dicuntur ossea quædam subjacentia interiori membranæ venarum.

Classis secunda. Huic classi adnumerantur, 1^o Status hominis recti aut sedentis;

2^o Impedimenta varia quæ venoso sanguinis libero decursui obstant: cujus generis sunt.

a. Ligaturæ quibus constringuntur aliquoties partes quædam corporis.

b. Tumores quidam venas vicinas comprimentes, uterus gravidus ex quo ortum ducit compressio venarum iliacarum.

c. Illæ cordis contractiones è quibus fit sanguinis refluxus in vasculis venosis præcipuis: Verbi gratiâ sub clavis, jugularibus, etc. Observatur hujusmodi refluxus in cardiacis quibusdam morbis v. g. aneurismate passivo dextri ventriculi.

d. Fortuita occlusio præcipui cujusdam vasculorum venosorum, sive illorum interno parieti facta fuerit, è quâcumque causâ, inflammatio, et adhesio, sive adhæreat concretum quoddam sanguineum (quod dicunt *Caillot*) à quo, partim, seu in integrum vasculi meatus occludatur, sive, intra vasculum, organicum quoddam fortè incaluerit, quod sanguini decurrenti adversetur.

Non solum quæ venæ impedimentum versùs sanguinem deferunt varicosæ efficiuntur, sed etiam illa lateralia vascula, quæ sanguini cor versùs tendenti viam insolitam dant, magnoperè dilatantur: illorum amplitudo triplex, quadruplex, sextuplex etiam fit.

3^o *Communicatio fortuita venæ cum arteria quam comitatur.* Quædam, per vices, de prædictis decursus sanguinis impedimentis dicemus.

1^o *Status hominis recti.* Statio corporis in favendis varicibus non tantum valet quam permulti crediderunt : ex illa quidem , gravius fit sanguinis pondus intra venas partium corporis inferiorum, ac proinde difficilior ad cor translatio ; at, si secundum chirurgos plerosque, varices tantum, è sanguinis pondere ac difficili translatione evaderent , illas semper apparere necesse foret ad valvulam quamque, ex infima ad superiores procedentes. Phlebectasim verò , tum partem mediam tum partem elatiorem venæ prius aliquoties invadere observatum fuit : saphena, v. g., varicosa visa fuit femoris priusquam cruris. Frequenter quidem ascendunt varices , at observationes dantur descendantium. Quod si statio corporis in varicibus producendis tantoperè valeret, ut illarum unica fermè causa dici posset, sanè, ætate crescente, crescere deberet morbus iste , nec moram admittens gravior per dies evadere usque ad mortem. Attamen, quidquid asseruerint, qui de morbo illo dixerunt, senioribus varices, quas imposuerat ætas adulta seu juvenus, benigniores fiunt et sæpè evanescunt. Infra dicemus causam quæ magnoperè potens est, simul cum statione, ad varices gignendas.

2^o *Impedimenta.* Quidam recentiores DD. Chaussier, Bécclard, Briquet, etc. parum valere varicibus favendis censuerunt, et ligamenta quibus artus coercentur, et tumores qui propiores venas comprimunt. Illæ quidem observari possunt causæ, nec apparere varices, aut apparere impedimentum inter et cor : attamen, permulta dantur observata varicum, quæ ex prædictis impedimentis ortum ducebant, et his ce sublatis evanuerunt. Imò, quos appellavimus, viri præclari asserunt prægnantium varices, non è compressis utero iliacis venis ortas (quod tamen fieri censent ferè omnes), at è plethorâ quâdam sanguine ultra modum ad partes nonnullas affluente.

Ab illis qui hoc explicandi modo utuntur quæri potest, cur prædictæ varices, non nisi elapsâ mediâ graviditate frequentiùs appareant, cur in femore seu crure dextro sedem figant, cum uterus dextrorsum inflectitur et vice versâ, cur denuò illarum varicum expertes observantur supernæ corporis partes, quas, ut singulis innotescit, prægnantes plethore obnoxiores habent.

3^o *Communicatio venam inter et arteriam.* Cum venam inter et arteriam fortuita exsurgit communicatio, ex illâ ampliatur sanguis qui per venam defertur, ac proindè violentiorem impulsum injicit venosis parietibus, illos que dilatatione afficit. Minimè iste morbus ejusdem modi est ac varices. Non igitur plura de illo disseremus.

Classis tertia. Nunc pertractandum est de causis quibusdam quas penè, ignoraverant antiqui auctores. Primus illas indigitare videtur *Bordeu*. Illæ causæ fortassè Prof. Delpèch in mente sunt, cum fatetur causas quæ impedimentis sanguinem morantur plusquàm valebant æstimatas fuisse et his verbis prosequitur : « Une cause générale inconnue détermine » les dilatations variqueuses. »

Illas Bécclard in locum suum restituerat, et nemo non assentiens erit qui lectas habuerit doctas elucubrationes doctoris Briquet, *de phlebectasiâ*. Illæ sunt causæ è quibus sanguis copiosior evadit ad vascula ac proindè ad venas cujuscunque partis corporis. Huic copiosiori affluxui ad partes quasdam circumscriptas, ac persæpè minimè declives corporis, tanquàm causæ assignari debent, secundum D. Briquet, cui planè assentior, assignari debent, inquam : « Les dilatations des veines autour des cancers, des tumeurs blanches, des ganglions scrophuleux autour des parties où siège » une irritation prolongée. C'est à cela que se rapportent les phlebectasies qui succèdent à la cessation des règles, celles qui paraissent lors de la » suppression des menstrues, celles qui se développent à la terminaison » d'une maladie inflammatoire, comme les auteurs en citent des exemples ; les veines qui s'élargissent et deviennent sinueuses aux environs » des parties où il se fait une abondante séparation de liquides, comme » autour des mamelles dans la lactation, au cordon testiculaire et aux » plexus veineux du bassin chez ceux qui ont fait des pertes excessives » de sperme ; chez ceux qui ont des catarrhes de vessie ou autres maladies » des voies urinaires, etc., etc. (*Briquet, thèse, page 20.*) »

Paribus de causis pendere videntur varices illæ quæ juxtà vetera quædam ulcera apparent, cum illis ulceribus nondum extantibus, pars morbo laborans, nihil varicosi habuerit; istæ etiam variculæ quæ crura super

exsurgunt his qui foco ardenti frequenter assident, aut hisce calefactoriis utuntur quæ vulgò dicuntur *chaufferettes*; indè oritur phlebectasia quædam, quâ maculis variegatur cutis; istæ quoque varicosæ dilatationes venarum organi chronicâ inflammatione laborantis; exemplum sint varicosæ dilatationes, venarum quæ per cutem disperguntur apud illos qui quibusdam herpetium generibus afficiuntur, venarum etiam conjunctivæ et quarundam aliarum membranarum mucosarum, quibus inest inflammatio chronica.

Promptior facta circulatio magnoperè sanè valere videtur in producendis hisce dilatationibus varicosis quæ crura super exsurgunt operariis, cum continuò stantes crura frequenter agitant, undè subcutaneis venis copiosior ad supernas partes vel cor affertur sanguis.

Inquirendum manet an, in producendis hemorrhoidibus, morbo, frequentissimo, non tantum valeat quòd rectum indesinenter irritent fœces, et citior evadat circulatio in recti parietibus, quam quòd comprimantur venæ hemorrhoidales fœcibus agglomeratis durioribus que horum qui constrictum alvum habere solent.

In prædictarum causarum æstimatione, D. Briquet prioribus nimium detraxisse censeo, illas ferè nulliùs momenti dicendo, posterioribus vero nimium tribuisse. Illi si credamus, varicosa frequenter forent inferna membra quia, muscularis, statione vel locomotione, indesinenter contrahendis, permultus infra sanguis decurreret, cujus sursum versùs per extraneas venas refluxus fieret. Ab illo inquiram cur operariis quibusdam frequentissimè brachia agitantibus, ita ut illorum muscoli continuò contrahantur et ultra modum nutrantur, cur inquam, operariis istis non appareant brachiorum varices.

Causas absolvimus, de medelâ disserendum est.

Varices quædam nullam medelam admittunt: hujus generis sunt, tum quæ intraneæ prorsùs, ac cor propè degentes nullo modo oppugnari queunt, tum quæ; causis è quibusdam minimè cessantibus, artemque ridetibus, originem ducunt. Quis adire tentabit varices illas quæ altius per medium corpus delitescunt.

Quod si Morgagni et Portal varicosas priùs dignovissent venam azygos et venam sub claviam, quibus perruptis, perierunt ægrotautes, quânam me-

delà, pari morbo, adversati fuissent ? Sanguinem qui detraxisset, forsàn impulsus contrà varicosos parietes imminuisset et mors tardior effecta fuisset. Quæ via medendi hisce varicosis dilatationibus quibus adest causa occlusio venæ portarum integra, seu cavæ inferioris. Imò funesta foret medela quæ sanguini per varicosas venas refluenti obstaret : nam ægrotantis non servatur vita, nisi quia sanguini datur ista via refluxus.

Aliæ etiam quædam varices perdurare permittendæ sunt : hujusmodi sunt varices quæ morbo gravi judicium fuerunt (dementiæ, v. g. rheumatismis, hemorrhagiis variis, pulmonum aliorumque organorum inflammationibus etc,) criticæque dici possunt : ejusdem modi etiam varices quibus benignior fit morbus cui comites sunt. Fæminam quamdam dicit Chaussier difficiliore spiritu laborantem, cui simul inerant cruribus ædema et varices. Per sæpè festa per media apparere cupiens, ligamentis crura circumdabat ; statim gravioribus afficiebatur symptomatibus, aderatque suffocatio quæ, non nisi sublatis ligamentis, evanescebat. Frequentiora hujusce modi tentamina fæminæ huic hydrothoracis ac promptioris mortis causa fuerunt (1). Maximè cavendum est etiam ne imprudens fiat medela hisce varicibus quæ, hemorrhagiis per sæpius renovatis ac denuò supressis, succedunt. Si varices ortum ducunt ex absentibus fortuitò menstruis, revocari debet fæmineus fluxus ; si verò menstruis ætas finem imposuerit, et tunc varices invadant, hisce varicibus indulgendum est, nec medendum. Cæterùm si varices quæ morbi cujusdam occupaverunt vices graviores sint ac morbus ipse depulsus, si ex varicibus illis promptiùs exsurgant periculum vel majora mala, illarum loco, quantum fieri poterit, restitui debet quem depulerunt morbus.

Cum varicibus medela quæritur, imprimis obstandum causis seu prædisponentibus seu efficientibus quæ varicibus gignendis adjumenti quoddam afferre potuerunt : Persæpè quidem, sublatis causis curationem integram admittunt varices. Exemplum sint, varices prægnantium quæ, partu effecto, diffugiunt : *sublatâ causâ tollitur effectus*. Plethoræ igitur varices producenti adversandum et sanguinis emissionem, victus ratione, potu frigido, etc. : artes etiam illæ varicosis, si fieri possit, dimittendæ sunt quæ va-

(1) Briquet, thèse.

ricibus favent, artes v. g. quæ perpetuò sedentem aut stantem occupant : Equitibus, si intestini recti varices immineant, equitatio dimittenda : nonnulli qui, ligamenti artus circumdare solent, aut comprimentia quædam injicere, illa penitus solvere debent. Si corporis pars quædam venas habeat ampliatas, illa prorsus effugienda sunt quæ sanguinis affluxum ad partem istam augere possunt : v. g. illis qui hemorrhoidibus afficiuntur abstinendum est à cibis irritantibus, acrioribus, spiritu vini, etc. , curandum etiam est, ne permaneat solita constrictio alvi. Quibus inest varicoceles aut cyrsocèles, rara venus appetenda est; frequentior morbum maligniorem facit. Illis etiam applicanda erit medela chronicis inflammationibus quibus comites apparent varicosæ dilatationes, seu varices illæ organo laboranti, seu propiori loco adhæreant : v. g. (Inflammationibus et cutis et quarundam membranarum mucosarum chronicis, ulceribus tumoribus, etc.)

Si varices hujus fuerint generis cui nomen imposuerunt aneurisma arterioso-venosum, his finem subito imponit illius oblitteratio foraminis quo venam inter et arteriam facta fuerat communicatio.

Chirurgica varicum medela multis efficitur variis modis; ex istis nonnulli sunt quibus levantur tantum, nonnulli quibus curantur varices : nonnulli denuò non inserviunt nisi cum varices morbo alio quodam implicatæ fuerunt.

A. *Medela levamentum afferens.*

1° *Situs corporis.* Varicosæ parti, quantum fieri potest, illa imponenda positio quæ, sanguini cor versus refluenti, saveat. Ità varicum ampliationi injicitur mora, ità etiam finis imponitur gravioribus incommodis quibus varices exordium fuerant. In lecto decubitus per multum affert levamenti varicibus crurum. Sæpius quidem nisi aliquantis per præmittatur decubitus ille, non alia produci medela potest. Observantur qui, ampliatis crurum varicibus laborantes, ædemate, doloribus vexati, non compressam cutem tolerare possunt, nisi prius in lecto, extenso membro, venæ sanguinis partem dimiserint ac dolor quieverit.

Decubitus in lecto his etiam convenit quorum hemorrhoides inflammatio invaserit, multum enim noxii, è statu recto corporis, exoriri potest. Stante enim corpore, venæ portarum rami sanguine tardiore complentur.

2^o *Compressio*. In quem consentiebant fere omnes chirurgi curandi modus, illorum unica ferè medela, priùs quam à recentioribus renovatæ fuissent veterum operationes, ea erat : varicosum organum circumdabant comprimenti linteamento è quo illud adjutorii venis varicosis suppeditabatur, quod profundioribus suppeditant muscoli. Pari, undè quaque, comprimere debet membrum compressione, fascià circumdatum ab extremis ad partes suprà varicosas. Noxia foret ligatura quæ imparem per loca exerceret compressionem. Illa exercetur compressio fascià quæ, helicis modo, membrum circumcingit, aut potius tibiali vestimento, è latere diviso, ac ligulis astringendo : illud verò vestimentum, è telà ista quam dicunt *Coutil*, aut è caninà pelle conficitur. Illum posteriorem præire modum sentimus, quia perdifficillimum est parem quâque fasciæ spirâ exerceri compressionem, quia spirarum minor fit constrictio, et citò fascia funiculi vices gerens. persæpè renovanda est. Quod priùs incommodum comprimementibus ligamentis ex oritur, ex usu continuato evanescit.

Compressio raro curandarum varicum sufficiens est, at illis moram injicit, ac plerisque adversatur incommodis quæ varicosos vexare possunt, v. g. œdemati, inflammationi cutis seu texti cellularis, seu etiam ipsarum varicum, abscessibus qui ex inflammatione istà ortum ducere possunt, ulceribusque varicosis, etc.

Sunt exempla ademptarum varicum prædictà compressione ex quâ facta fuit varicosarum venarum obliteration. Cum verò varicosæ venæ aliquando sponte suâ obliteratione observatæ fuerint ex inflammatione internæ membranæ, quæri potest quidnam valeat compressio. Ex illà quidem exurgere potest adjutorium sananti naturæ; tardior enim ex illà sanguis fieri potest, ac facilius evadere adhæsiō, seu parietis ad parietem, seu parietis ad concretum quoddam intra vas depositum.

3^o. *Remedia externa roborantia astringentia styptica, etc...* Hic de remediis istis dicemus quæ, à chirurgis quibusdam veteribus, æstimata sunt integram afferre curationem. Hæc medendi ratio vetustissimorum fuit chirurgicorum : Descriptis operationibus chirurgicis quibus varicum curatio inquirebatur, Ætius quosdam narrat medicos hujusmodi emplastro varicibus adversari : « Bituminis judaici sesquilibram, olei vetustissimi bessem, » therebentinæ liquidæ septuncem, sulphuris vivi trientem. » Remediis

ferè similibus, v. g. gummi tragacanthâ, ex granatis vino, armeniaë boli pulvere, etc. etc. utebatur Fabricius ab Aquapendente at simul varices comprimebat. Alii permulti detremediis istis aut similibus dixerunt, è quibus in medium adducemus aquam frigidam, acetum, spiritum vini seu rectum seu aquosum, vinum calidum, acetum plumbeum, sulfasque alumineum, etc. etc. Hujus modi medicatio quæ sola ferè inutilis est, aliis remediis multum adjumenti asferre potest; sic frigidaë sedis lavationes, frigida que clysteria haud parùm aliquoties depellendis hemorrhoidibus inservierunt quas aliis etiam impugnant remediis medicantes. Cui animo esset, varicibus membrorum curandis, his remediis supra dictis uti, simul prædictam compressionem adhibere necessarium haberet. Asserit Hogdson, vesicatoriis emplastris, minora fuisse varicum mala : numquid huic asserenti credendum est.

B. *Curatio sanationem absolutam asferens, vel operationes.*

De operationibus nunc disseramus : ex illis quædam varicosas ipsas dilatationes attingunt : quædam, venæ varicosæ, varices inter et cor, loco non varicoso applicantur. Plerumquè in operantis animo est obliteratio, seu ablatio ampliataë partis venæ varicosæ. Illos forsàn qui venas pungebant, obliterationem, cui aliquoties causæ erant, in animo habuisse dubium habere licitum foret. Illa enim punctio obliterationem inquirentibus non erat solita.

Operationes quæ varicosam ipsam partem attingunt multiplicis generis sunt; eæ sunt ; 1^o *punctio*, 2^o *incisio*, 3^o *excisio*, aut ablatio, sive applicataë, sive non applicataë fuerint ligaturæ, 4^o *cauterisatio*, 5^o *avulsio*, 6^o *extirpatio* organorum quibus insunt venæ ampliataë.

1^o *Punctio*. Modus ille qui laudatores jam habuerat, Hippocratem, Galenum alio quocumque remedio illumpræire jubentem, Avicennum, laude maximâ J. L. Petit insignitus fuit : chirurgus iste peritissimus huic operationi nomen imposuerat, *phlebotomiam varicum* quâ utebatur 1^o cum ulceribus varicosa pars afficeretur, 2^o cum nondum ulceribus vexatâ parte, ultra modum distensis venis, acuti dolores inessent. Illum pungerè locum jubet quo maxima facta fuit dilatatio, ac simul ex precedentibus inflammationibus, quantum dignosci potest, cutem inter ac venam

adhæsiō ; ita ut , punctâ venâ nil sanguinis in cellurarem telam subcutaneam effundi queat. Cavendum est etiam , ex illius jussu , ut pungatur pars summa varicosæ dilatationis , ita ut foras egredienti sanguini seu liquido , seu concreto quo varicosa completur vena , nilè valvulis impeditenti exoriat. Præeuntibus chirurgis assentiens Petit , puncturæ , cùm varicosa vena planè vacua facta fuit , linamentum injicit quod pyramidali penicillo compressum , deindè fasciâ firmandum est. Quandòque , inquit Petit , pluribus in locis pungendæ sunt venæ quia , propter concretum sanguinem , non sufficiens est punctura , ut penitus vena vacuetur varicosa. Prædictum , sequenti die , solvere apparatus permittebat , quia juxta Petit sententiam : « On n'a plus lieu de craindre l'hémorrhagie , pourvu que le malade garde « assiduellement le lit , et que la jambe y soit tenue dans un parfait repos. » Quidam verò quos inter *Dionis* , *Heister* punctis venis imponebant seu laminas plumbeas , seu quoddam aliud solidum , ac diutius permanere jubebant comprimèntia ligamenta : illa quidem , ni ægrotans impatiens tulerit , non nisi compluribus elapsis mensibus solvebant. Hâc methodo levabantur quidem , sed rariùs sanabantur varices , quibus , occluso foramine , permeans sanguis ampliacionem novam afferebat.

2^o *Incisio*. Quùm propter sanguinem concretum , venis evacuandis non sufficiens erat punccionis foramen , fiebat incisio ; sublatoque distendenti sanguine , plaga linamento completa pus emittentium plagarum vices absolutebat , nisi potiùs juxta positarum orarum sine morâ inquereretur adhæsiō. Ex isto operandi modo , faciliùs exsurgebat varicosæ venæ obliteration , ac proindè incisionem punccioni præire sentimus. Attamen si curationis certioris spem permittit , ex illâ quoque graviora aliquoties exoriuntur mala. Plures , teste *Hogdson* , quorum recentius incisæ fuerant varicosæ venæ , gravissima passi fuerunt , illisque tantum evenit periculi ut desueta facta fuerit incisio. Attamen professori *Richerand* faustus fuit sæpè hic operandi modus. Illo jubenti , inciditur tota varicosa vena , extrahitur sedulò sanguis concretus ac permittitur quædam sanguinis effusio venosi , ex quâ fit salutaris depletio : deindè plaga , linamento molli completur , ac suppurantium vices absolvit. Cum hoc cè modo operatur , ait professor *Richerand* , consequens temperatur inflammatio , ac non nisi partes incisas attingit ; pus faciliùs ex hianti plagâ decurrit ; ac sublato periculo , dùm

vulneris adhærescunt oræ, obliteratur varicosa vena. Doctor Borot, thesi suâ duo memorat varicum exempla hac è methodo omnino sanatarium. È quibus unum referre liceat. « Un malade, âgé de 29 ans, vint à l'hôpital » Saint-Louis dans le mois de juin 1822; il portait à la partie interne du » pied et de la jambe droite une dilatation considérable de la grande veine » saphène, mais surtout depuis la malléole jusqu'au dessous du genou : cet » état variqueux, qui ne remontait pas à la cuisse, existait depuis plusieurs » années. Il paraissait spécialement dû à des fatigues opiniâtres, à des marches pénibles et forcées. On avait déjà employé sans succès les astringens » la compression. La varice avait tellement augmenté depuis quelques » mois, quoiqu'elle fût soutenue par un bandage, qu'elle menaçait de se » rompre et causait une très-grande gêne dans l'exercice du membre. » M. Richerand se décida à faire sur tout le trajet du vaisseau une incision qui s'étendait depuis la partie supérieure de la jambe jusqu'au » dessous de son tiers moyen. Par cette ouverture, il donna issue d'abord » à une multitude de caillots fibrineux, puis à du sang liquide en abondance. Après cette ample déplétion, il mit de la charpie dans la plaie, » et attendit la suppuration, qui ne tarda pas à se déclarer. Le 4^e jour » de l'opération on renouvela le pansement, qui dès-lors fut fait tous » les jours. Sur la fin, on rapprocha très-légèrement les bords de » l'incision pour ne pas donner trop de largeur à la cicatrice qui se fit » assez rapidement à mesure que la suppuration diminuait. La guérison » fut complète au bout d'un mois. La veine était totalement oblitérée; » aucune trace de varice ne restait sur la jambe; le malade put bientôt » reprendre l'usage de son membre. » Fabricius ab Aquapedente et Fabricius Hildanus varices etiam incidebant simul ac suprâ infrâ que varicosam partem ligaturis venarum constringebant. Ea sunt Fabricii Hildani verba. « Porro cum ulcera varicosa, ut nosti, nisi prius abscisso varice consolidari nequeant, curationem sic aggressus sum. Instituta optima victus » ratione, aliquoties item expurgato corpore, et vena brachii ejusdem » lateris incisâ, ægroque in scamno collocato, in ipso poplite eadem » blandè ab ipsâ venâ separavi. Deindè filo reduplicato, mediante acu » incurvata varicem amplectebar : in inferiore parte varicis eodem modo » processî. Sed antequam filum stringerem, nodum que facerem, tibiam

» ex scamno in terram collocandam jussi : idque in eum finem , ut sanguis
 » pro more deorsum flueret. Verebar enim ne sanguis ille propter fluxum
 » et refluxum subtilior factus, incommodum aliquod procrearet. Tandem
 » filum ex superiori parte varicis aretè strinxi, nodumque effeci, postea
 » quoque ex inferiori parte. Quo facto, varicem propè nodum superio-
 » rem, ut sanguis in varice, veluti in sacculo oblongo contentus, effluere
 » posset scalpello incidi. » Fabricii operandi methodo non assentior ; inu-
 » tiles enim censeo quas injicit ligaturas, si quidem compressio lævis san-
 » guini cohibendo sufficiens est. Si ligatur vena, inflammatio invadere potest
 » quam forsitan non ligata effugisset.

Incidi quoque potest tumor è venis pluribus ac intortis conflatus ; ita
 fit vasculi varicosi plurima incisio, ex quâ illius exoritur obliteratio,
 sæpius illa fuit *Beclard* operandi methodus.

Doctor *Brodie* aliquoties ipsum venæ truncum non dividit, aut ligatu-
 ris constringit, neque causticis ac cauterio utitur, at vasculi ramos tantum
 desecat. Hocce modo, à quo minùs evadit periculum, complures obtinuit
 varicum curationes.

3o. *Excisio.* Veteres, Celso teste, varices excidebant. Hisce verbis præ-
 missis, « vena omnis quæ noxia est, aut adulta tabescit, aut manu excidi-
 tur » adurendi modum narrat, ac ipsum in modum prosequitur. « At
 » vena exciditur hoc modo. Cute, eadam ratione, super venam incisâ,
 » hamulo oræ excipiuntur, scalpelloque undiquè à corpore vena diduci-
 » tur : caveturque, ne inter hæc ipsa lædatur ; eique retusus hamulus
 » subjicitur ; interpositoque eodem ferè spatio quod suprâ positum, in
 » eadem venâ idem fit ; quæ quo tendat, facili hamulo priore extento cog-
 » noscitur.

« Ubi jam idem, quacunquè varices sunt, factum est, uno loco ad-
 » ducta per hamulum vena præciditur : deindè quâ proximus hamus est,
 » attrahitur et evellitur ; ibique rursus absciditur. Ac sic undiquè crure
 » liberato, tum plagarum oræ committuntur, et super emplastrum glu-
 » tinans injicitur. » Marius illustris Cimbrium ac Tentonum debellator,
 erurum varicibus laborabat, illas gravius ferens excidi voluit ; unius cru-
 ris excisæ sunt, Mario nequidem sedente, nec dolorem accusanti, alterius
 verò non excidi permisit, remedium malo gravius existimans. Illa *Celsi*
 methodus excidendi nunc planè insolita est.

Recentiores chirurgi varices inferiorum membrorum non excidunt nisi cum varicosus tumor, unâ tantum venâ multum ampliata, aut compluribus agglomeratis vasculis conflatus, distinctè circumscribitur nec latiorē occupat locum. Illam dicit Petit frequentiorē excisionem quo tempore florebat. Tumorem qui junioris cujusdam cruri insidebat excidit professor Boyer : et fausta fuit curatio. Excisa fuit etiam professore Roux, nec non faustè curata varicosa vena penis dorso jacens. Prædicti professores, non nisi suprà infrà que varicosam partem ligatâ venâ tumorem exciderunt. *Petit*, in illâ describendâ operatione, ligaturas quidem à *Celso* laudatas, supernam infernamque, non prætermittit ; at solvendas dicit, si ex illis gravior exoritur dolor, ac comprimendam tantum venam pyramidalibus penicillis. Ego verò, à ligaturis abstinendum censeo, facillimè enim venarum sub cutanearum sanguis compressione cohibetur. Cæterum, quæ præcepta generatim dantur, de extrahendis tumoribus, hic applicanda sunt : ità incidenda sunt tegumenta ut à superiore quidem vasculi varicosi parte ad inferiorem usquē decurrat instrumentum ; sedulò deindè dissecabitur cutis, ac tumor à subjacentibus partibus separabitur : cavendum ne vena læsa sanguinem emittat à quo difficilis ac magni laboris efficeretur operatio quam facillimam habere solent chirurgi. Quod si venæ adhæreat cutis propter antecedentem inflammationem, cum illâ sæpius non sit adhæsiō nisi medio tumori, ellipticè circumcisa cutis adhærens à supernâ ad infernam varicosi vasculi partem simul cum tumore cui instat exciditur. Excisio, quæ rarò fit varicum inferioribus membris, ac tantum cum ità res sese habeat ut diximus, è contrà frequentior peragitur tumorum hemorrhoidalium, ac varicosarum dilatationum quibus sæpè afficiuntur vascula venosa conjunctivæ membranæ. Has varices excidendi methodum dicere longius foret : hinc cæterum non locus est.

4°. *Cauterisatio*. E veteribus qui ad nos usque prevenerunt, primus cauterisationem varicum indicat Celsus. Istam varicibus medelam applicare solitos dicit chirurgos, his que verbis adurendi rationem explicat. « Cutis » super inciditur : tum patefactâ venâ tenui et retuso ferramento can- » dente modicè premitur ; vitaturque ne plagæ ipsius oræ adurantur , » quas reducere hamulis facile est. Id, interpositis quaternis digitis, per

» totum varicem fit; et tum super imponitur medicamentum quo adusta
» sanantur. »

Adustionis varicum testes aut laudatores sunt: *Ætius*, *Amb. Paré*, *Guillemeau*, *Franco*, *Fabricius ab Aquapendente*, *M. A. Severinus*, *Dionis*, etc. Cum verò hodiè, graviora propter incommoda, penitus insolita sit, nil de eà disseremus. Illam quidem nuper tentavit, nec infansè doctor *Brodie*, sed ità fuerunt dolor aliaque incommoda ut à tentamine alio abstinendus censuerit prædictus chirurgus.

5^o *Avulsio*. De venis ligandis posteaquàm dixit *Paulus Ægineta*, hisce verbis persequitur. « Novi autem veteres nonnullos funibus non usos;
» alios indè vas denudatum excindere: alios altè ipsum elevatum cum
» violentià extrahere abruptum. » An avulsæ fuerint varices inquiri potest? non meum componere litem.

6^o *Extractio organorum quibus insunt varicosæ venæ*. Testium ablatio varicum super jacentium veteribus aliquoties medela fuit: cyrsocelibus quibusdam castratione adversari jubet *Celsus*. *Franco* hujusmodi laudat operationem quam ipse patraverat.

Nunc de istis methodis dicamus qui non varicosum locum, at verò suprà varicosum aggrediuntur. Triplex est operandi modus. 1^o Ligando, 2^o incidendo, 3^o excidendo.

Quinam sit operandi modus, operantis consilio in est venam obliterari, tum sanguine conereto quem moratur impedimentum ab operatione allatum, tum ex inflammatione quæ parietes venosos invadit, tum ex utrâque causâ.

Prædictæ cæterùm triplici methodo ista præcepta applicanda sunt.

a. Ille operationis eligendus est locus varicosæ venæ quò non truncum comitantur rami, ità ut, interrupto trunco, non detur affluenti sanguini altera via ex quâ venæ, ligaturam infra, obliterandæ impedimentum oriatur, ac proindè inutilis medela foret. Hanc propter rationem in medendis crurum varicibus attingi debet, interior saphena juxtâ, aut potiùs suprà genu; si enim fiat infra operatio, saphenâ exteriore sanguis provehi potest ad interiorem, suprà ligatam venam ac proindè non fit sanguinis impediti concretio, nec sanantur varices.

b. Venam ultràmodum ampliata ne prædictis operationibus attingas;

tunc enim difficillimè crebrior abundantiorque sanguis coalescit, ac quædam graviora exsurgunt incommoda, v. gr. parietum venæ inflammatio ac suppuratio.

c. Varicosa vena operantis manu eo attingi debet loco qui, à varicibus, quantum fieri potest, distet, ac planè sit sanus. Indè forsan minora evadunt incommoda, indè rarior et minor exsurgit inflammatio, ac si tumorem propius, ac viciato loco attingatur vena. Quædam tamen inutiles evasisse videntur operationes propter ligatam tumore longius venam: cavendum igitur à longiori simul ac minori distantia.

Varicosis cæterùm curandis, quæ majores operationes anteire solent observanda sunt. Nempè à cibis abstinere, potionibus refrigerantibus uti, ac in aquam tepidam sæpius descendere, etc., jubetur varicosus: si plethorâ laboret, sanguinis quoddam extrahi debet, etc.

1^o *Ligatio*. Veteres venas varicosas ligasse apparet: attamen ligationem istam ità describunt veteres quidam, ut difficillimè pronuntietur an juxtà, aut suprâ infrâque tumorem per indè auferendum ligatæ fuerint venæ, an verò, intervallo quodam interposito, intàctum suprâ tumorem venam circà varicosam injiceretur ligamentum. Primum censeo operationem illam sedulò dixisse *Paulum Aeginetam*. Ex illius apparet verbis, *Paulum Aeginetam* femoris venam ligavisse, deindè crus extensum ac elevatum tenuisse, ac manu compressisse ità ut sanguinem quo crurales varices complebantur foras emitteret. Non aliam hac ce ligandi methodo tutiorem ac certiozem medelam se noscere asserit *Paulus Aegineta* quem ad verbum prosequitur *Amb. Paré*. Eodem fère modo, de ligandis varicosis venis dicunt *Dionis*, *Gouei*, *Heister*, etc.

A longo tempore insolens erat ligatio, cum ab *Everard Home* ligatæ fuerunt venæ varicosæ, ad ulcera sananda, ea mente ut sustentato superiori sanguine, subjacentes varices obliterari possint, aut, si *Amb. Paré* de incidendis varicibus dicentis verba usurpemus « pour faire rempart au sang » et autres humeurs contenues avec luy qui abreuvent quelques ulcères » étant aux jambes. » Ex eo die quo, ab *Ever. Home*, in artem varicosarum ligatura venarum restituta fuit, per multū chirurgi peritissimi *Carmichaël*, *Smith*, *B. Travers*, *Brodie*, *Béclard*, *Dupuytren*, et alii quidam gallici chirurgi frequentius illam aggressi sunt operationem, cui cæterùm semper non absunt pericula quædam infrâ dicenda. Eo modo efficitur.

3.

Decumbente varicoso, incisio perducitur cutis, uno pollice ad duos pollices circiter longa, secundum venam trajicientem at potius è latere ad latus. Quidam incidendam eutem duplicant. Sedulò nudatæ venæ ac à circumjacentibus separatæ subdit chirurgus filum ceratum stylo aculeato tractum, nodo que duplici constringit illam. Nonnullis suprâ ligaturam prædictam præciditur vena : alii duplicem injiciunt ligaturam ac ligaturas inter vasculum incidunt. Doctor *Briquet* illum quo aliquoties utebatur *Béclard* memorat incidendi modum : uno ab ictu scalpelli, cutis ac vena simul incidebantur, subindèque filo, extremâ pars ac inferior venæ volsellis correpta constringebatur. Quonam modo incidatur ac vena deligetur, vulneris oræ sedulò committendæ sunt, ut sine morâ fiat adhæsiō ; ac ut à mōtu quocunque varicosus abstineat præcipiendum.

Doctor *Gagnebe* (1) non absquepericulo nudatam venam pertingi aere sentiens, novam laudat methodum. Hanc eæ ligationis methodum, illum audiamus exponentem. « Je me sers, dit-il, d'une aiguille très-déliée, » recourbée vers la pointe, et terminée en fer de lance, lequel présente » une ouverture qui permet d'y introduire un fil de soie. Je comprime » la veine au-dessus et au-dessous du point où je veux la lier, après avoir » fait remonter le sang, de manière à la rendre tendue et roulante sous » la pean. Je porte ensuite la pointe de mon aiguille sur un de ses bords ; » je la fais glisser doucement derrière elle, en évitant de l'ouvrir, et » lorsqu'elle paraît au bord opposé, j'introduis un fil de soie dans l'ouverture que l'aiguille présente vers ce point : je la retire, et elle entraîne le fil qui se trouve passé derrière la veine, je fais repasser, par » le même moyen, un des bouts du fil entre la veine et la peau, sans » pratiquer de nouvelles ouvertures à cette dernière ; alors les extrémités » de ce fil se trouvent ramenées du même côté, il ne reste plus qu'à faire » la ligature qu'on peut graduer à volonté. »

Nil eâ de methodo experientia docuit.

De prædictæ operationis consequentibus quædam nunc disseramus. Quo momento constringitur vena, quamquàm accuratiùs nudata fuerit, peracutus patientem invadit dolor, qui plerumquè breviùs evanescit. Cum

(1) Thèse inaugurale, 1830.

subitò ligaturà cohibeatur sanguis qui cor versùs tendit, infima venæ pars, eadem quamvis sit illius mollietis, quamdam patitur ampliacionem : sanguis ad ligaturam quasi ebulliens persentitur ægro. Tribus, quatuor aut quinque elapsis diebus, amplior apparet hæc ce dilatatio, venisque dilatatis actensis dolor renovatus insidet. Ille, per dies, paulatim temperatur dolor, minorque fit venarum amplitudo, absorptis jam tenuioribus sanguinis concreti partibus. Quæ phænomena, si doctori Briquet credamus, à ligaturà ad partes extremas vel infimas observantur. Plagam invadit vulgo quædam inflammatio ex quâ, seu ex ligaturâ quæ plagâ in mediâ commemoratur, impedimentum exoritur promptæ adhæsioni. Tringenta operationes enumerat doctor *Briquet* quibus ligaturæ expulsio, à sextâ ad vicesimam secundam diem, effecta fuit. Celerius quidem expellitur ligamentum si, vena quam constringit, ferro divisa fuerit. Delapso filo, per dies venarum evanescit dilatatio, simul ac coalescit plaga. Minores venas quasdam filo tantum constrictas ac statim solutas quandòque obliterari observatum fuit (Hogdson). Prædictæ operationi non omnia semper fausta succedunt. Fieri enim potest ut non concreascit sanguis, sive ligatus fuerit venæ truncus, infrâ rami cujusdam varicosi insertionem, sive à latere, insolita quædam vena, varicosæ sit comes; sive ramusculi nonnulli ita post ligatam venam increverint, ut ab illis, ex inferiori loco ad suprâ ligatam vasculi partem, sanguis transmittatur; sive tandem nimia fuerit intrâ varicosum vasculum sanguinis copia. Indè nulla varicum obtinetur curatio, ac inutilis evadit operatio. Graviora quædam incommoda ligaturam etiam insequi visa sunt : quandòque quidem perierunt varicosi; de his vero mala infrâ dicemus.

2^o *Inscisio venæ suprâ varices.* Priùs Anglorum fuit illa methodus. In operantium animo fuisse videtur, ait *D. Briquet* illa effugere mala quæ ligaturam haud rarò consequuntur ac fili constringentis commorationi haud immeritò assignantur. Observandum tamen illa graviora esse quæ vasculi supernæ parti insident incommoda, quanquàm illa pars, non nisi rarò, constringatur, ac parti solæ inferiori ligamentum sæpius injiciatur. Hæc est quâ, in principio, incidebantur varices methodus. Eodem modo inciditur cutis, ac si liganda foret vena varicosa : vas denudatum iteranti scalpello à

latere ad latus dividitur : chirurgus deinde oræ plagæ committuntur , ac levi quâdam compressione cohibetur sanguis. Quidam, eâdem incisione, cutem ac varicosam venam dividunt : cæterum suprædictæ non absimilem insectantes methodum. A professore *Béclard*, teste *D. Briquet*, sæpius incisæ fuerunt venæ varicosæ, nec minora orta sunt incommoda ac de varicibus ligatis : observatumque habuit non tam certam oriri ex incisione obliterationem, ac proinde curationem, quam ex ligaturâ. De incommodorum paritate quæ ab incisione ac ligatione originem ducunt, illis obviam ire in mente habuit doctor *Brodie*, cum non truncum, sed venæ ramos tantum dividi suadet : ne ambienti aere vena pertingatur quod noxium judicat, cutem inter et venam, à latere ad latus obliquè perducit gracilem scalpellum, foramine arctiore intromissum; dein instrumenti versione quâdam, illius aciem rectam venoso applicatramo qui, retroducto scalpello, dividitur. Illam *Brodiensem* methodum, teste doctore *Briquet*, applicavit *Béclard* venæ suprâ tumorem dividendæ, nec prædictis modis eam præcellere cognovit, ac proinde non suam fecit.

3^o *Excisio partis sanæ venarum varicosarum.* Doctor *Lisfranc* de operatione istâ, minora censet incommoda ac de incisione et ligaturâ. Eo modo, ex illius jussu, exciditur. Suprà aut infrâ genu denudatur vena. Illius denudatæ quæque pars extrema, sub cute non incisâ jacens, forcibus incurvatis dividitur, ac tollitur pars mediâ. Permultæ fuerunt hujusmodi faustæ operationes.

Quidnam pronuntiandum de vinciturâ arteriarum quarundam quæ varicosis partibus insunt ? illa medendi ratio, quæ *cyrsoceles* curando forsitan conveniens foret, et quam convenientem asserit *D. Amussat*, minimè varicibus cæteris impugnandis conveniret.

Quædam nunc de prædictarum operationum incommodis dicenda sunt.

1^o Sæpius ligatæ aut incisæ venæ partem infernam invadit inflammatio acuta seu chronica, quæ compluribus causa est abcessibus, sive simul, sive per vices appareant, è quibus longius perducuntur, dolores ac medela.

2^o Sæpius etiam peracutâ invaditur inflammatione pars venæ superna textumque cellulare quo circumcingitur. Ex illâ fieri possunt graviores

abscessus, peracerbi dolores, mors etiam patientis. Non hujusmodi ad auctore Briquet, observata sunt infernæ partis inflammationem consequentia.

3^o Ex prædictis operationibus, per rarò quidem, ea ortum ducit inflammatio quæ è loco varicoso ad propiores venas procedit, ac totum fermè systema venarum pervadit, ità ut, quandòque ferè nulla varicoso sit vena quæ non phlebiti afficiatur. Gravius indè patienti exoritur periculum: non datur enim certa venarum inflammatione laborantium medela, atque ex phlebiti ità viuiatur sanguis ut cità morte varicosus pereat.

4^o Nonnullis etiam aliis morbis causa esse videntur operationes supra dictæ. Consequentes ii observati sunt: pleuritis, pneumonia, hemophthisis, etc. etc. Quisnam verò consensus causam inter et effectum quæritur.

Varicum medelam levantem, medelamque curantem exposuimus. De levanti medelà nil periculi ex tat, medelæ verò curantis plurima, quæ diximus, exurgere possunt incommoda. Levare tutum, curare periculosum. An levandæ tantum, an curandæ sint varices inquiri potest.

E celeberrimis chirurgis, alii levandas, alii curandas censuerunt. Qui curari jubent, illis est in animo ista adimere ulcera quæ varices comitantur, sublevantisque medicationis per dies renovatam effugere difficultatem, ex quâ non rarò fit, ut incompleta inefficaxque dimittatur medela ac periudè varices increcant, et in varicosos graviora irruant incommoda.

Qui sublevari tantum jubent, illis sententia est, ulcera ac nonnulla quædam varices implicantia, leniori modo esse impugnanda, quod non tantum valeant etiamsi accuratiores, operationes ad varices curandas, quantum illis inest periculi, cæterum chirurgi idem varicum imminuendæ vexationi ac fermè cohibendæ, sufficientem esse sublevantem methodum pronuntiant, dum sedula continuataque fiat illius methodi applicatio: ac proindè ab hisce medendi rationibus abstinendum, è quibus graviora oriuntur mala; cujusmodi sunt inflammationes chronicæ quæ, juxta partes divisas, apparent; abscessus quoque ac diuturni dolores, etc. Nec rarò varicosum mors invadit, de istà frequentius consequenti consulantur *B. Travers, Hodgson, Briquet*, etc.

Prædictas inter adversantes sententias, mediam quamdam admittendam censeo. Si non, nisi lævis à varicibus vexatio fiat, si non, ultra

modum jam ampliatae fuerint varices, si, non varicoso loco jam infixae fuerit per longa inflammatio, si membrum cui varices insident nondum aedemate graviore afficiatur, seu ulceribus quibus cohibendis nullum sit sufficiens remedium, si, inquam, res ita se habeat, medelam tantum sublevantem applicandam censeo; scilicet remedia externa simul ac comprimentes fascias. Si verò ultra modum creverint varices, seu cruris, seu femoris, si apparuerint inflammatio diuturna, aedema grave, ulcera horrida, ad quamdam praedictarum operationum confugiet medicans, illam insectatus quam plurimum valere censebit.

Pauca denique disseramus de istis impugnandis incommodis quibus varices quandoque implicantur.

1° AEdema, vulgò ex compressione accurratà facilius evanescit.

2° Istae inflammationes quae, seu cuti, seu texto cellulari subjacenti, seu venae varicosae parietibus infiguntur, antiphlogistica medela curantur. Hujus sunt medelae, hirudinum applicatio, sive propiori varicibus loco, sive loco ipso varicoso, emollientia etc., etc... Illa quoque peragi potest operatio quam dicebat Petit varicum phlebotomiam.

3° Abscessus è varicibus orti, eandem appellant medelam, quam caeteri abscessus.

4° Ulceribus varicosis permultum dat allevamenti antiphlogistica methodus: ita fieri saepius *Professor Bougon* observatum habuit. Coeterum remedium exteriorum applicatio, ulcerati loci compressio fascià praesertim, hisce curandis ulceribus maxime conveniunt, simul ac patiens in lecto commorari jubetur, ac motus cujus-vis, quantum fieri potest, partem ulceratam expertem habere. Ni praedicta medela ulcus cohibeatur, dividenda aut excidenda deligandaque vena.

5° Hemorrhagia quandoque gravissima ex perruptis varicibus orta, facilius compressione cohibetur. Si verò intra pectus aut abdomen perruptae fuerint varices, nulla imminenti morti mora injici potest.